IV

REGICIDIVM DETESTATVM, QVÆSITVM, PRÆCAVTVM.

no. 3

CLARISSIMO VIRO EMERICO REGINALDO Amplißimo in Pictonum Curiâ Præsidi, & ad LVDOVICVM XIII. Franciæ Nauarræq; Regem Christianiß. nunc nuper Legato.


FRANCISCVS MEINARDVS Frisius in Academiâ Pictauensi Antecessor. D.D.

Iuxta exemplar Pictauij impressum.



PARISIIS,
Apud IOANNEM LIBERT, via D. Ioan. Lateranensis, propè Collegium Cameracense.

M. DC. X.



CLARISSIMO VIRO EMERICO REGINALDO Amplissimo in Pictonum Curiâ Præsidi, & ad LVDOVICVM XIII. Franciæ Nauarręq; Regem Christianissimum nunc nuper Legato Franciscus Meinardus Antecessor. S.

NIhil oraculo propius dictum reor, *Præses amplißime*, *quàm illud magni Doctoris Africani de Principum casibus*, *ad Principes effatum*, Vobiscum concutitur Imperium, concussis etiam cæteris membris. *Quis enim Franciæ totius* HENRICI IIII. *Optimi & inuictissimi Principis casu non est cõcussus? Quos (vt de aliis taceam) ciuitas Pictauensis tremores non sensit? & tamen sensit non amisit: sed Francisci Aquilij de Pernan* Maio*ris Sapientissimi consilio præsenti erecta statim ad se rediit*, *animum collegit*, *parentiæ fideiq; sacramentum Regi dixit*, *mox cir-* Tertu Apol.

*cumſpexit, quem publicæ fidelitatis & obſequij ſponſorem mitteret. Nec mora, te B. R. P. N. ſæpius experta, votis conſpirantibus iterum legit, Legatúmq; ad Regem deſtinat, gnara videlicet, eandem animi caniciem, & eloquentiam beato fonte manantem, quâ nuper in hac vrbe H*ENRICVM *patrem exceperas, & in admirationem tui, laudémq; pertraxeras, apud L*VDOVICVM *filium matrémq; Reginam tibi minimè defuturam. Sed dum tu ſerenaſti frontem paulisper vel inuitus, vt Legati, hoc eſt, tantæ ciuitatis perſonam condignè ſuſtineres, & cum bono publico mandata perageres, à nobis mœrore victis has, quæ tibi reduci ſeruantur, & inſolabiter iterantur, querelas, quæſtiones, & cautiones dolor expreſſit vt quâ publicè tuâ legatione, quâ priuatim leſſo noſtro, Pictones animos omnium ciuium amoris, & fidei vinculis cathenatos Regibus ſuis atteſtentur. Vale datum Auguſtoriti Pictonum, Pridie Id. Iunij Anno* 1610.

Reip. ..., ve- ...rmu- ...lis a- ...al. ...in ...ntiq.

REGICIDIVM, DETESTATVM, QVÆSITVM, PRÆCAVTVM.

TRes illi quondam Syllæ diſcipuli tam famoſi Lepidus, Antonius, & Octauius, poſt innumeros principes ciuitatis viros nefariè trucidatos, vt plenà manu crudelitati ſuæ litarent, edictum propoſuerunt, quo miſeri ciues non modò ſuorum carnificinas, ac mortes ſiccis oculis ſpectare, & gemitus in prçcordijs ſtrangulare iuſſi, ſed etiã coacti ſunt εὐθυμεῖσθαι θάνατον ὀφλήσοντες ἂν μὴ πειθαρχήσωσι. *Bono lætóq; eſſe animo, morte multandi niſi dicto forent audientes.* Quid precor hoc edicto durius? quid authoribus edicti crudelius? apud quos ſcelus erat, ſcelera cum riſu non videre, cum plauſu non probare. Benè habet quod in tam impios naturę tyranniones, ac hoſtes non incidimus. Bené eſt qoud HENRICVS IIII. Rex inuictiſſ. dum ſuis magis, quam ſibi cauet,

Apud Ap[pian] lib. 4

Lvdovicvm filium, Regnorum non magis, quàm virtutum ſuarum hæredem, eiúſq; matrem Reginam prudentiſſimam, cuius interim felici manu cuncta gubernentur, nobis reliquerit, apud quos & iuſtus ſubditorum dolor ingenium ſuum exercere queat, & Regijs manibus amorem adulationis exortem teſtari, & Regicidium deteſtari liceat, Regicidium autem? Imò parrícidium longe immaniſſimum, quo nimirum *Parens Publicus*, id eſt, Optimus Princeps nobis ereptus eſt à nunquam nominando ſicario, qui Regem ſacratiſſimum tot prælijs incolumem, tot victorijs nobilem, adeóq; *Deos Regales* auſu tam nefando violàuit. Sed quia nullus ſatis atrox ſtylus hoc ſacrilegio, vltra omnem impietatem, & audaciam poſito, verba condigna poſſit effodere, damnetur æterni ſilentij carcere, &

Caſſiod. epiſt. 42. lib. 4.

eſt, Re- m cuſto- s quos o Alexā- i ſalute arius in- rpellat a- d iuſtitiæ).18. Stat. lib. 1.

Omnibus in terris ſcelus hoc, omníq; ſub æuo,
Viderit vna dies, monſtrúmq; infame futuris,
Excidat,

ne vnquam inter Francos extitiſſe, vel tam horrēdum facinus admiſiſſe poſteris obiiciatur, etenim,

Ibidem.

------ miſeræ quid crimina gentis
Pandere? quid caſus iuuat oſtentare pudendos?

Queramus tamen, an credibile ſit monſtrum

tam infame à Francis ortum; mihi certè non videtur, vt nec alijs videatur exquisitis rationum momentis efficere, & à nomine, ac contestatâ virtute Francorum, qui & Frisię meę quondam vicini habitarunt, & me nunc beneficio HENRICI IV. iure Francię donatum pro suo agnoscunt, tanti notam criminis amoliri conabor. Cæterùm vt distinctiùs hęc inquisitio procedat, quamuis iamdiu Franci cum Gallis mixturam, & gentis vnitatem fecerint insolubilem, lubet tamen in re propositâ alteros ab alteris disparare, & cuiusque populi genium, mores, & affectus in Reges suos, aliósq; separatim expendere. Videamus itáque primum de Francis, qui, quantum ex veteris memorię scriptoribus repetere licet, Reges suos amore tam ingenuo, ac pertinaci coluerunt, vt Principes & Imperij Romani proceres crederent, à prouincialibus citius Pręsides suos, ac magistratus cum fascibus aliísque insignibus exturbatum iri: quàm Francos de Regibus suis necandis vel impiâ manu ferendis cogitaturos:

----- Laudata fides, prouincia fasces
Expellet citius missos, quàm Francia Reges
Quos dederis, feriat.

Claudian. I. paneg. Stileconi

Si Reges etiam aliunde petitos, & à Stilicone Principibúsq; Romanis datos adeò deue-

nerati sint Franci, nondum fidei Christianę radijs illustrati: quantâ religione putas eos mactasse Reges deinde proprios, & gentilitos, cùm salutaribus vndis lustrati, Christóque deuoti, nuntium Idolis remiserunt? Equidem nullus dubito, quin leges amoris in Regem suum, quasi naturæ digito Francorum animis inscripias, Christianę doctrinæ pietas valdè confirmauerit, & igniculos insititios paganę superstitionis cineribus sopitos multo vehementius inflammauerit. Nihil verbis intestatis credi volo, nihil historicis indigenis, qui honori patrię velificantes, hoc sępè laborant certatim, vt suos quàm blandissimè fallant. Extraneos scriptores, & extra suspicionis aleam positos ad testimonij dictionem citabo. Quare, si placet, audiamus Cedrenum, autorem non proletarium de cultu, & veneratione, quum Franci, iam nominis Christiani titulo celebres, Regibus suis impendebant, Ἱστορεῖται δὲ ὅτι ἔθος ἦν τὸν Ῥῆγα Φραγγίας κατὰ γένος ἄρχειν, *id est, historiarum monumentis proditum est, quòd ex consuetudine Franciæ Rex Principatum â genere, siue maiorum stirpe sibi delatum gerat.* Et paulo post subiungit, Κατὰ δὲ Μαϊουμᾶν προκαθέζεσθαι ἐπὶ πάντος τοῦ ἔθνους, καὶ προσκυνεῖν αὐτοῖς, καὶ

vita Leo
rs Isauri
ca an.
rist. 7

ἀντι-

ἀντιπροσκυνεῖσθαι ὑπ' αὐτῶν, δωροφορεῖσθαί τε καὶ συνήθειαν καὶ ἀντιδιδόναι αὐτοῖς. *Id est, Mense autem Maïo publicitùs uniuersæ genti præsidere, eámq; genere quodam adorare, & ab eâ rursus adorari, donis interim patrio ritu, & antidôris vltro citróque datis.* Quid, quæso, de sanctitate Regum apud Francos excellentius? quid ad laudem Francorum præclarius dici potest? Ego sanè dum causas istius ritus, & instituti mecum reputo, non queo satis mirari Francorum prudentiam singularem, ac propè diuinam, qui mense Maïo, cui à Majestate nomen inditum est, coram maiestate sui Regis, omnes intimæ charitatis, & animorum recessus aperiendos existimabant: qui mutuis adorationis humanæ solemnibus, donisq; reciprocãtibus, fidem & amicitiam, si fortè languentem alicuius frigusculi interuentu, magis magísque resuscitare studebant mense Maïo, id est, verno tempore, quo non homines modò, sed animantes etiam ipsæ rationis priuilegio non gaudentes, solo naturæ ductu, & magisterio, suos affectus renouãt, & ad nouæ coniunctionis fœdus iterum incalescunt. Quid de animantibus loquor? Stirpes etiam, & plantæ huiusce laudis partem sibi vindicant, & hoc vernali mense.

Viuunt in Venerem frondes, omnísque vicissim Claud. de na[...]

Fœlix arbor amat, nutant ad mutua palmæ
Fædera, populeo ſuſpirat populus ictu,
Et platani plantanis, alnóque aſsibilat alnus.

Nec in dubium mihi venit, quin Rex Henricus, quo mentis acumine, iudicióque pręcellebat, eodem Maïo, gratiæ, lubentiæque alumno ferias, quibus Regina coronam, Lutetia Reginam ſolenniter, ac pompaticè introeuntem ſuſciperet, haud aliâ de cauſâ magnificentiſſimè celebrandas imperauiſſet, quàm vt ſe, Reginámque oſtentans, cum Regni proceribus, adeoq; ſubditis omnibus mutuos beneuolentiæ nexus fortiùs ligaret, & prole tam numeroſâ, hoc eſt, Regni columinibus ac deſtinis, circumſeptus, de futuri tẽporis felicitate cunctos benè ſperare iuberet. Et tamẽ inuentus eſt nunquam ſine præfatione publici Parricidij nominandus alter Hoſtius, qui nec metu, nec minis, nec iniurijs, imò ne quidem verbo duriore prouocatus, ſanctiſſimum Regis corpus, in medio ſuorum complexu atque lętitiâ, ferro violare non exhorruit, *Immane facinus, nullíque antè cognitum tyranno, ac Franco homini*, (vt cum Aimonio loquar) Vocentur omnes ad calculum Francię Reges, quorum familiam ducit Pharamũdus, ab eius auſpicatiſſimo principio per ramos & ſtemmata ſingulorum

defendamus ad hæc vltima tempora: nullus ex omnibus occurret, qui vel vnius Franci fidem tam ſubleſtam, manus tam ſacrilegas expertus eſt; imò, ſi tres Henricos excipias, nullus, qui Francos erga Regem ſuum fidei & amoris ſeruantiſſimos non fateatur, ideóque ſe quaſi Publicæ teſtationis & honoris cauſâ iactare, ac præferre titulum, quo vnuſquiſque nominari maluit *Dei gratiâ Rex Francorum*, quàm Gallorum: licet Galli fuerint Aborigines harum Prouinciarum, quę nunc in vnam Regni Francici ſummam conflatæ ſunt. Nam, ſi verum amamus, quicquid hiſtoriæ veteres de paucis apud Gallos Soldurijs mercenarijs, & conductitijs loquantur, non eadem de mentibus ac moribus Gallorum, mens nobis eſſe debet: ſed quemadmodum diuerſum fuit Gallis & Francis ab initio ſolum, diuerſum cœlum, diuerſa corporum temperies, ſic diuerſam quoque indolem fuiſſe perſuaſiſſimum habere debemus. His addantur educationes, inſtitutiones, Religiones, aut veriùs, ſuperſtitiones longè diuerſæ, quæ quantum poſſint etiam in optimis ingenijs à rectâ virtutum ſemitâ detorquendis, nemo ignorat. Nec eſt quod de Gallicæ gentis vetuſtate nobis ita blandiamur, vt clauſis oculis veritatem prætereamus

Nam
dio F
conu
Clud
virg
ſus e
terſe

mus, cùm certo certius ſit, Gallos ſiue à genio ſuo, & naturâ ſic factos, ſiue à diſciplinâ formatos, ad omne genus crudelitatis pronos extitiſſe. Quæ res effecit, vt modò truces, & ſanguinei, modò crudeles & immanes, alijſque id genus vocabulis diram barbariem ſonantibus apud varios ſcriptores appellentur. Et ne longiùs abiero, Iulius Cęſar teſtatum reliquit, eos in ſacrificijs adeò fuiſſe delectatos hominis viuicomburio, vt cùm nocentes deeſſent ad innoxios peruenirent. Tamen ne hoſtili Cæſaris teſtimonio Gallos opprimere videar, hoc agamus, & varijs exemplis oſtendamus apud alias gentes ad cædem audacius faciendam, vel carnificinam atrocius exercendam, Gallos ferè ſemper, tanquam homines ad omne ſcelus, & audaciam proiectos, abhorrentibus cæteris, delectos, paratóſque fuiſſe. Ita ſane Plutarchus narrat, cùm Caius Marius ad extremas fortunæ incitas redactus, & vltimâ fati neceſſitate conſtrictus, apud Minturnenſes hoſtium nutu deſignaretur ad cædem, & multis de nece tanti viri vel cogitare religioſum eſſet, itum eſt ad ſatellitem Gallum, qui pari immanitate ſuſceptum facinus perfeciſſet, niſi Marius & famâ nominis, & rerum geſtarum gloriâ, & vultus autoritate, & multâ

de Gall.

niue capitis venerandus ſicario trementi, & in fugam verſo ſceleratum ferrum de manibus excuſſiſſet. Nec Auguſto poſteà Cæſari minus periculum à Gallo fuit. Nam *quidam è primoribus Galliarum deſtinarat eum, in tranſitu Alpium per ſimulationem colloquij propiùs admiſſus, in præcipitium propellere.* Sequamur ordinem temporum & ab Auguſti principatu delabamur ad Imperatores Chriſtianos ſub quibus, ſi ætates ſingulas percurramus, ſemper eiuſdem crudelitatis, & atrociæ Gallum aliquem nomenclator hiſtoriæ ſtylus nobis ingeret. Sub Valentiniano cùm Maximinus quidam ſeditionum fax, & incentor, obliquis inuidiæ commentis, & falſarum accuſationum cuniculis mortem Aginatij Senatoris optimi à Cæſare impetraſſet, *retinuit apud ſe pauliſper imperiale præceptum, hærens, & ambigens quemnam potiſſimùm executorem atrocis rei fidum inueniret. Tandem vt ſolent pares facilè congregari cum paribus, Doryphorianus quidam repertus eſt Gallus audax aduſque inſaniam,* cui hanc operam implendã demandauit. Nunc porrò deſcendamus ad æuum & Imperium Friderici. 1. qui, cùm ex Italiâ feſtino reditu properaret in Germaniam, Alpes infeſtâ latronum colluuie obſeſſas ſuperare, atque tranſire non potuit, niſi prius, expugnatis eorum

Sueton. Aug. Ca 79.

Circit annũ Chriſti. 373.

Amm. Marcell. Lib. 28.

Circite aanũ Chriſti. 1156.

caſtris cœpiſſet omnes, & in crucem egiſſet. Verùm quia præſentarium carnificem non haberet, vt ex ipſis literam longam faceret, ei vitam promiſit incolumem, qui ſocios cruci diſcipulos dederet: Nec mora, cunctis tam infelicis vitę beneficium aſpernantibus, Gallus quidam oblatam ſortem lætus arripuit, & hoc eſt, quod ait poëta, non humillimi ſpiritus, omnes ſuſpendioſos eſſe factos,

Gunthe-
us Ligu-
nus de
b. geſt.
rid. 1.
ib. 5.

------- *excepto ſcilicet vno,*
Qui ſocios propriâ iuſſus ſuſpendere dextrâ
Obtinuit miſeram regali munere vitam
Gallus erat. --------

Sed iam ſatis eſt exemplorum, ſatis ex ijs cōſtare poterit, quàm illiberalis, quàm nouerca fuerit in Gallos natura, vel inſtitutio, quæ mores, & animos eorum ſic efferauit à principio, vt crudelitas innata maioribus, vnà cum ſemine parentum ad liberos, ac nepotes tranſfuſa reperiatur. Quod tamen nō de omnibus promiſcuè Gallis dictum velim, ſed ijs tantùm, qui vel affectus habuerunt tam peruicaces, & ad virtutis Imperium rebelles, vt nullis doctrinæ, vel humanitatis viribus domari potuerint, vel tam ſepoſiti fuerint, & in loca ſolitaria rejecti, vt ex humanioris populi commercio, & acceſſu parum, aut nihil lenitatis, & φιλανθρωπίας mutuati ſint. Inter

quos vel imprimis numerandi putantur Incullismensis siue (vt nunc scribendi vsus obtinuit) Engolismensis tractus incolæ, qui videntur à Romanis adeò neglecti, vt matrix eorũ ciuitas apud Iulium Cæsarem, & alios vetustiores, nullius nominis sit. Et ne quis posteà virtutis, ac studiorum vomere magis excultos, ingenitam morum asperitatem exuisse putet, legat Ausonium poëtam (cuius æuo iam per vniuersum orbem Gallicum literarum flores emicabant) qui Tetradio viro doctissimo non perfunctoriè nec leuiter irascitur, quòd Inculismæ veluti latebris ab omni humanitate remotissimis, maximéque deuijs, nulli cognobilis, aut visendus absconderetur. Epist.

Inuitus olim deuoraui pristinæ
Necessitatem absentiæ, Epist. 8.
Quondam docendi munere astrictus graui
Inculisma cum te absconderet, Vulgo n Engolisn
Et inuidebam deuio, ac solo loco
Opus Camenarum tegi.

Seriùs etiam Inculimenses frequentati videntur à Francis, alijsque populis, quibus è meliore metallo ductos mores, & ingenium benignius natura donauit: quo factum, vt primæua ferocitas, ex omnium pectoribus, etiã hoc tempore nondum radicitus extirpata sit.

Vnde à Cosmographis ac Geographis recentioribus illi, qui hodie Inculismensem agrum habitant, ac ruri degunt, vt homines *impauidi, nihilq; timentes* describuntur. Quàm suam ἀφοβίαν & pauoris nesciam temeritatem, quidam eorum cum omnium bonorum metu sępè nimis ostenderunt, maximè temporibus hisce postremissimis, quibus Ioan. Poltrotus Inculismensis homo desperati furoris & audacię, Illustrissimum Principem Franciscum Guisię Ducem inter militum suorum propè amplexus, ad portas Aureliæ perfidiosè trucidauit, cui tanquam victimam succidaneam quasi Poltrotus nóndum litasset, Henricum 4. Regem, qui magnitudine operum, & fulgore gestorum omnes suos Antecessores longissimè reliquit, nuperus iste Cultrarius adiecit, & facinore plusquam barbarico fecit, vt populares sui Virgiliani carminis aculeum ampliùs meruere non debeant. *Accipe nunc Danaûm insidias, & crimine ab vno, Disce omnes.* Scio quidem ęquitatis, & synceri iudicij regulas nō pati, vt ex vnius, vel alterius ingenio sanguinario omnes æstimentur vt ex vnius vel alterius delicto, in omnium ceruices pœna redundet: attamen non est nouum, vt ab ijs qui stricto iure seueriùs agunt, etiam

Vnius

[...] Paulo [...]rula [...]smo[...]phæ suę [...]t. 2. lib. Cap. 28.

[...]no 1563.

[...]b. 2.

Vnius obnoxam, & furias Aiacis Olei,
Tota claſſis ponto mergatur : vt ob ſcelus, & inſidiam paucorum, multi, ſi non ex aſſe, ſaltem ex quadrante, vel triente ad hæreditatem pœnæ vocentur. Cæterùm hæc à me non eo fine diſquiſita, vel diſputata ſunt, vt omnes Inculiſmenſes paucorum ſcelera luant: ſed vt Rectores, Magiſtratus, alijque politiores iſtius Prouinciç viri, qui multi hodie, claríque ſunt, omnium Francorum votis ſatisfacientes, feros iſtos, ac ferreos ſuorũ animos, ſi qui reliqui ſint, vel inſtitutis, ac diſciplinis mitioribus vel morum Magiſtris, & Cenſoribus oppidatim, & vicatim creatis, vel colonijs aliò traductis (vt olim fieri ſolet) vel pœnis grauioribus, & alijs quibuſcunq; remedijs legittimis compeſcere, ac mitigare conentur, ne inter homines vitæ ſuæ prodigos, Regum, & Principum noſtrorum ſalus, adeóque populi, Regniq; totius, in manifeſtarium periculum toties adducatur. Interim quia iam toties in extremâ tegulâ ſalutis hoc Regnum conſtitutum fuerit, & improuiſis Regum ſuorum cædibus ad internecinum penè caſum præcipitauerit: omnes boni ciues, adhuc à recenti conſpectu vicini præcipitij trementes, cuiuſcumque ſint generis, aut profeſſionis, in id vnum conſpirare de-

bent, vt Regem Ludouicum perpetuò saluū, & incolumen habeant. Quod ita demùm fœliciter eueniet, si vnusquisq; cautiones Regi suggerat, quas vel ab arte suâ, vel ingenio, vel experientiâ potest impetrare. Ego, vt cæteris eruditioribus, ad operam consimilem incentiuum subijciam, munimenta προφυλακτικὰ quæ extemporalitatis memoriæ mihi subministrat, pleno, grauidóque pietatis in Regem affectu motus breuiter, & quasi per indicem proponere nō grauabor. Earum autem cautionum,

Prima est à Deo, nam, vt ait Philo Iudæus, ὁ μὲν θεὸς οὐδενὸς δεῖται, ὁ βασιλεὺς δὲ μόνου θεοῦ *i. Deus quidem nullius indiget, Rex autem solius Dei*, maximè verò Rex Francorū, qui sicut Regnum suum *Dei gratiâ*, se quæsiuisse gloriatur in titulo, ita suam, Regníq; tutelam ab eodem petendam quotidie cogitare debet in voto.

Secvnda est à semetipso, nam sicut ipse Rex & Princeps est *à Deo secundus, post Deum primus*, ita secundā cautionem petet à seipso, suísque præsidijs. i. virtutibus verè Regijs, quas ita breuiter autumat Dio Chrisostomus, vbi de Rege sic loquitur, τίνι μὲν, γὰρ δεῖ πλείονος φρονήσεως, ἢ τῷ βουλευομένῳ πε-

tul. in . Cap. it. 3. de .

ἐὶ μεγίστων, τίνι δ' ἀκριβεστέρας δικαιοσύνης ἢ τῷ μείζονι τῶν νόμων, τίνι δ' ἀνδρείας ἰσχυροτέρας, ἢ ὑφ' οὗ πάντα σώζεται; τίνι δ' σωφροσύνης ἐγκρατεστέρας, ἢ ὅτῳ πάντα ἔξεστι. *i. Cui maiore opus est prudentiâ, quàm ei, qui maximis de rebus consultat, cui exactiore iustitiâ, quàm ei qui legibus maior est, cui fortitudine validiori, quàm ei sub quo omnia seruantur, cui modestiâ temperantiore, quàm ei cui omnia licent.* Sed paucis hisce pagellis non possunt omnes arctari, neque explicari Regiæ virtutes, quibus singulis libri singuli dandi, dicandique forent.

TERTIA est à cunctis subditis, eorúmq; beneuolentiâ, & amore, quia Regem,

Non sic excubiæ, nec circumstantia pila Clau
Quam tutatur amor. Hono
Imcpr

Sed ita subditorum amor Principem tuetur, si Principis vicissim subditos, *Errat enim si quis existimat tutum esse ibi Regem, vbi nihil à Rege tutum est, Securitas securitate mutuâ paciscenda est.* Sen. ca Lib. Clem.

QVARTA est à subditorum, maximè Nobilium, & Potentiorum liberis rectè institutis. Prudenter enim Mœcenas ad augustum, Apud nem
περὶ μὲν τῶν βουλευτῶν τε ἱππέων, ταῦτά σοι συμβουλεύω καὶ νὴ Δία καὶ ἐκεῖνα, ἵνα ἕως τε ἔτι παῖδες εἰσὶν ἐς τὰ διδασκαλεῖα συμφοιτῶσι. *i. de Se-*

natoribus & Equitibus hæc tibi quidem ſuadeo, ſed & illa per Iouem, vt quamdiu pueritiam agunt, ſcholas adeant, vt quàm maturrimè non literis modò, ſed amore Principis, ac Principatus etiam imbuantur. Quo fine conſultiſſimum foret, vt vmbratici Doctores, artiúmque ac ſcientiarum Profeſſores ſemper aliquid inter cætera prælegerent ſuis auditoribus, quod Regiæ Maieſtatis obſeruantiam, & cultum eorum animis ingeneraret, Claſſici præceptores aliquid Græcè, vel Latinè pro vario diſcentium captu, vel ex antiquorum, vel etiam Frãcorum Annalibus decerptum, Iuris Anteceſſores leges de veneratione & crimine Maieſtatis, Theologi in ſuis controuerſijs de poteſtate principum enucleandis, idem quod Diuus Bernardus verè Francus ad Ludouicum Iuniorem Francorum
i. 170. Regem. *Si totus orbis, aduerſum me coniuraret, vt quippiam molirer aduerſus Regiam Maieſtatem, ego tamen Deum timerem & ordinatum ab eo Regem offendere temerè non auderem. Non enim ignoro vbi legerim, qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*, vel aliud ſimile, ne toties audiamus, eiuſmodi ſicarios, virorum Eccleſiaſticorum dictis, vel ſcriptis, ſpe mendaci futuræ ſalutis perſuaſos, ad Principum cædes animari, quod Arſacidarum, vel Aſſaſſinorum potiùs

est, quàm Sacerdotum Christianorum.

QVINTA est ab amicis, & consiliarijs intimis, qui sicut illibati flores è subditis omnibus leguntur: sic illibatam magis, incorruptámque fidem Regi præ cæteris debent, φιλολυδοῖκοι potiùs, quàm φιλοβασιλεῖς, amãtiores personæ, quàm fortunæ. Nam fortunę secutulei, cùm Princeps eorum famem satiare nequit, aut desinit, amicitiæ laruam deponunt, & depositum ad tempus perfidiæ vultum resumentes, in Principem gladios stringunt, *Diuum Iulium plures amici confecerunt, quã inimici, quorum non expleuerat spes inexplebiles.* Senec. C. 30. Lib. 3 ira.

SEXTA est à domesticis ad victum, cultúmq; corporis accurandum deputatis. Etenim, vt ab ijs magna cautio, si fideles: ita nulla aduersus eos, si semel bonę fidei deliquium patiantur. ὅτι καὶ ἀεὶ καὶ μεθ' ἡμέραν καὶ νύκτωρ, καὶ γυμνουμένοις σφίσι, καὶ καθεύδουσι, σιτία τε καὶ ποτὰ ὑπ' αὐτῶν παρασκευασμένα λαμβάνουσι συγγίνονται. *Quia dies, noctésque semper adsunt nobis, & nudis, & dormientibus, esculenta, ac poculenta, ab ipsis parata capientibus,* vt Augustus apud Dionem conqueritur. Lib. 5

SEPTIMA est à Censurâ desidũ, & otiosorum, qui vbi, *ventre, manu, penè, bona patria dißipauerunt:* vbi spes omnes sunt desperatæ, Salust.

sæpè desperationem vertunt in scelus, & audaciam, ac Catilinis, sicubi reperiantur, agglomerantes, in patriam, patrísque patriæ necem coniurant, de quibus coërcendis, vbi existunt, eruditè multa Bodinus, cùm satiùs
.3. Lib. Rep. foret prouidere, ne existerent. Quare Censorem in singulis Ciuitatibus & Pagis creari necessarium foret, qui familias recenseat, & patres familias districtè cogat, vt pro modo facultatũ, arte liberali, vel mechanicâ filios induant, sin minùs, in ius vocet, actionem filij neglecti, vel corrupti moueat, vt rectè
Chro. anno ib. II. veteres solent: *Sæuius Plautus*, inquit Eusebius, interprete D. Hieronymo, *corrupti filij reus, in iudicio se interficit.* Quod salutariter imitati sunt Britones, ex quorum iure Municipali nunquam satis laudato, pater de filij malè educati moribus cõuenitur: Hoc enim seruato, ne serui quidem omnis artificij rudes inuenientur: nec opus erit, quod Corinthij faciebant, otiosos, veluti quisquilias & καθάρματα ciuitatis exterminare, si modò in
luth. in on. peregrinos renouetur lex Solonis, quæ nullos, nisi artis alicuius peritos, admittebat.

OCTAVA est à curâ pauperum, & erronum mendicantium, à quibus, vel alijs, sub eorũ pallio latentibus, etiam Principes occisi leguntur, cur enim ex duobus Cõcilijs olim

apud Turones in Franciâ coactis, suos quæque ciuitas pauperes non fouet, educat, instruit? cur tot mendicorum vagantium cohortes tolerantur, sibi inutiles, alijs graues? cur si validi sint, ex L. Gratiani, & salubri Parisiensium instituto, ad laborem non adigantur, si inualidi, cur Nosocomijs non cõmendantur? Sed cùm Francia tam multos habeat etiam minimis negotiolis Præfectos, & Curagulos, vt iam multitudine laboret, tamen Catones aliqui nobis essent ab inferis excitandi, qui cum probro Christianorum hanc, otiosorum, & pauperum curam seriò capesserent. L. vn C de men valid. Li

NONA est ab obseruatione peregrinorum: licet enim *Franci hospitales* semper extiterint: & peregrini vel humanitatis causâ sint admittendi, vel necessitatis, ob commercij promiscuum vsum, tamen non indiligenter admitti debent sine obseruatione, quæ nullibi curiosior quàm apud Venenatos, qui omnes peregrinos in numerato habent. Etiam non indifferenter, non palàm hostes, vel aliâs suspecti. *Decreto suo Athenienses cauerant, vt qui Megaris ciuis esset, si intulisse Athenas pedem prehensus esset, vt ea res ei homini capitalis esset.* Saluian lib. 7. Agelli Cap. 10. Lib. 6.

DECIMA est à monitis & indicijs, quæ fide

digna ſunt, & ab amicis profecta, nam Iulius Cæſar nimium fertur, *quæ renuntiarent amici, neglexiſſe,* non ab areolis, Magis & alijs eiuſdem farinæ, quod *genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax,* procul ab aulâ ſuâ Christiani Principes eliminare debent.

uecon. in l. Cap.

Tacit. 1. ſtor.

VNDECIMA eſt à legibus, & legum pœnis, quæ in crimine tam frequenti, frequenter etiam exaſperandę ſunt. Neſcio quid Arcad. & Ho. cogitauerint, dum perduelles gladio tantùm feriri iubent: quaſi tam honeſto mortis genere dignus ſit, qui tam atrox & inhumanum ſcelus perpetrauit. Multo ſanè aſperior, apud Macedones, lex Principem tuebatur, quæ non authorem modò, vel complices, & conſcios, ſed etiam propinquos necari iubebat. Et profectò nulla videri poteſt tãta legis acerbitas, quàm non ſceleris iſtius magnitudo ſuperet.

quiſquis ad l. Iul. ijeſt.

Q. Onor. ib. 6.

DVODECIMA eſt à ſatellitio, & cuſtodiâ corporis, quæ etiam optimo Principi neceſſaria eſt, vel ideo ſaltem, vt caueat hominum furioſorum rabiem, ac δαιμονομανίαν, & (vt ait Seneca) μωροῦ πληγήν. Sed ex quibus cuſtodia hæc componẽda eſt? ex indigenis, an extraneis? ſubſiſto, ſi veri Soldurij darẽtur, aut Franci genuini dignoſcerentur,

eſt fatui agam in udo de orte laudii.

cerentur, ex illis ſuaderem. An igitur ex alienigenis? diſtinguo, ſi de nouo forent adhibendi, non conſulerem, ne cum inuidiâ, & contemptu ſuorum Princeps eos adſciſcere videatur: vt olim Darius, *Qui ſtatuerat cuſtodiam corporis ſui, contra ius fáſque peregrino militi tradere, damnatâ popularium fide, quam per duos & 300. annos, inuiolatam Regibus ſuis præſtitiſſent.* Si vetus conſuetudo ferat, poteſt etiam ex alienigenis, maximè quorum fides iamdiu probata eſt, Scotis, & Heluetijs, ſicut olim Cæſar ex Hiſpanis, Auguſtus ex Calaguritanis, cæteri ex Batauis & Friſijs, atque hi ſemper agmine quadrato, Principem cingant: &, vt Tiberium, *miles in forum, miles in curiam comitabatur̄,* ſic illi noſtrum etiam in ædes ſacras, etiam ad ludos, venationes, & ſpectacula, in quibus ſicarij tales, occaſione raptâ, ſæpè luſum inſolentem, & cruentum luſerunt. Q. C Lib. 6. Q. Cu. l Taci annal.

------ *Sed quis cuſtodiet ipſos.* Iuuenal. Sat. 6.

Cuſtodes? quis? niſi propria virtus, ac fides: Miſerum enim foret Principem Chriſtianū, omnibus diffidere, exemplo Andronici Cōneni, qui parum fidei in hominum pectoribus reponens, vaſtiſſimi canis ad cubiculi ſui fores religati cuſtodiâ ſalutem ſuam muniebat. Denique modis omnibus, *vltimum hoc* Nicitas And. Co

cto apud Iust. Ita gicidiū Q. Curt. cat. Li. 6. *scelus*, priuſquam fiat, propulſandum eſt: *cætera maleficia tum perſequâre, vbi facta ſunt, hoc niſi prouidens, ne accidat, vbi euenerit fruſtrà iudicia implores.*

His, quia breuiter & conciſè tantum deformata ſunt, adiungere conſilium erat, auream Liuiæ cum Auguſto, de ſecuritate, & cuſtodiâ Principis, diſſertationem, quæ eſt apud Dionem Caſſium, eámque variè conquiſitis rationibus, teſtimonijs, & exemplis, quæ hîc deſunt, illuſtrare. Cæterùm quia nobis ab onere & pēſo recitationum quotidianarum interſpirare modò non licet, eam meditationem, vel in aliud tempus, vel in alios, quibus otij plus ſuppetit, reijcere cogimur, futurum confidentes, vt quemadmodum Iupiter in Archimedis puſillâ ſpherâ, partes omnes orbis vniuerſi diſtinctè conſpiciebat: Ita Rex Chriſtianiſſimus, atque Regina mẽtium noſtrarum penitiores affectus, in hac exiguâ tabellâ, queant intueri. Neque enim ciues Auguſtoriti Pictonum, ſine ſummo ſuo flagitio, mutare, vel diſſimulare poſſent animos, ac ſtudia, quibus non modò Reges, ſed etiam Reginas perpetuò complexi ſunt: Et ne plures ex Annalibus eruam, vel vna teſtis erit Geleſuinta Athauaglidi Gothorum in Hiſpaniâ Regis filia, quę cùm ſummâ nuptia

Lib. 55.

rum ambitione à Chilperico Rege foret expetita, Regalíque dote & apparatu itineris instructa contenderet in Franciam: tandem post multas ciuitates à tergo relictas, Pictauium delata est, cuius incolæ turrim ex argento solido, quaquauersùs adapertilem & perspicuam quatuor rotis subnixam, artificio tam mirabili construxerunt, vt opus, & manupretium, lõgè materiam superaret: Illâ Reginam honorificentissimè exceptam, & conclusam, non sine ingenti multorum stupore, & applausu, per totam ciuitatem vexerunt: eiúsque spectaculi tam magnifici testẽ oculatum se fuisse gloriatur, Venantius Fortunatus in poëmate, quo Gelesuintæ aduentum sic describit. Lib.6.

Post multas vrbes, Pictauas attigit arces
Regali pompâ prætereundo viam.

Et post aliquot versus interiectos,

Hanc ego nempe nouus conspexit prætereuntem
Molliter argenti turre rotante vehi.

Cùm itaque Pictones ab omni æuo, Reges, Regináſque tam prono, ac propenso studio coluerint, tam veneranter, & religiosè semper obseruauerint, non mirum est, si hodie primarijs Franciæ ciuitatibus palmam fidei, ac pietatis in Regem, adeóque Reginam matrem eripere conentur: si pro turri argen-

genteâ, nunc turrim diuinę tuitionis adamã-
tinam eis supplices optent: ac eodem planè
voto, quod Christiani quondam pro salute
Principum nuncupare solent, *vitam illis pro-*
tull. in *lixam, Imperium securum, domum tutam, exerci-*
ca. 30 *tus fortes, Senatum fidelem, populum probum, or-*
bem quietum, à Deo Opt. Max. cõprecentur.

PROSOPOPOEIA TRIVM HENRICORVM, AD REGEM Ludouicum XIII.

HENRICVS II.

Discito Nobilibus casu diffidere nostro,
Monstra etiam in Reges, Nobilis Ordo fouet.

HENRICVS III.

Discitio Sacrificis leto diffidére nostro,
Monstra etiam in Reges, Ordo sacratus alit.

HENRICVS IIII.

Discito Plebeijs fato diffidere nostro,
Monstra etiam in Reges, Infimus Ordo parit.

RESPONSIO LVDOVICI REGIS.

Si plebs, si Clerus, si Nobilis Ordo, cruentis
Iam vacui monstris, corde, animóque valent,
Perpetuò incolumis potero mea sceptra tueri
Ni Polus, aut Pelagus iam sua Monstra vomat.

FINIS.